



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 4. De Ornatu Orationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

CAPUT IV.

De Ornatu Orationis.

Priori capite dictum est de ornatu in genere, qui consistit in rebus, & verbis: hic jam de ornatu magis in particulari agere aggreditur, qui in solis verbis consistit. Possunt autem verba considerari dupliciter, vel quodlibet seorsim & secundum se; vel prout conjunctum cum aliis sensum, & constructionem efficit. Hæc vocantur conjuncta, & continuata, illa verò simplicia. De verbis conjunctis agit incipiendo à tropis sermonis c. 17. usque ad numerum oratorium. De ornatu autem qui est in verbis singulis, & seorsim acceptis ab hoc capite usque ad allegoriam; verba enim seorsim & secundum se considerata, aut sunt *propria*, id est in propria significatione accepta, aut *translata*, id est à propria significatione in aliam traducta, unde dum agendum est de ornatu in verbis singulis, de utrisque dicendum est. Et primò quidem de iis, quæ in propria significatione accipiuntur, quorum aliqua illam habent unà cum rebus naturam, alia verò posterius, & de novo acceptam, alia denique penitus amiserunt, & hæc vocantur *prisca* & *inuitata*, sicut priora dicuntur *Nova* & *Novata*. De his omnibus tractabit hic Auctor, & 1. de iis, quæ primam & veterem significationem retinent.

2. de

2. de iis, quæ illam perdiderunt. 3. de verbis
novis; denique de verbis translatis.

CAPUT. V.

De Verbis simplicibus.

Verba simplicia (id est quæ secundum se
seorsim considerantur, non composita &
conjuncta cum aliis in constructione) aliqua
naturâ suâ sunt *consonantiora*, id est *majo-*
rem sonum habent; alia *grandiora*, id est, *ma-*
jorem significationem; alia *nitidiora*, id est *pul-*
chriora & gratiora quoad sonum & signifi-
cationem. Consonantiora sunt, moliri, trium-
phare, luctari, obsecundare, quàm face-
re, vincere, concurrere, parere. Item Orator,
Imperator, Numen, quàm eloquens, Cæsar,
Deus. Sic consonantiùs est, si dicas, domina-
trix animi cupiditas, quàm si dominam dicas;
regnatorem Asiæ, sonum habet majorem,
quàm si dixisset Virgilius, Regem Asiæ. Fiunt
autem vocabula *sonantiora* ob certas vocales
v.g. a. o. u. & concursum consonantium, ut
patet ex illo Virgilii:

Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras.

Tale est illud, cui etiam longitudo syl-
labarum, & dictionum sonum auget:

Conturbabantur Constantinopolitani
Innumerabilibus sollicitudinibus.

Grandiora sunt sacrilegus, immanis, truci-
dare, quàm fur, magnus, occidere; plus enim
significant; nam per hoc *grandiora* distin-

N

guar-